



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

Aprilis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)



APRILIS

S. VVALERICVS
 ABBAS.

i. Aprilis.

*Ex abundantia cordis os loquitur:
 bonus homo de bono thesauro pro-
 fert bona, & malus homo de
 malo thesauro profert mala.*

Matth, 12, v, 34, & 35,

IMaginem Davidis in WVALERICO agnos-
 ces: nam & hic puer pastoritiam exercuit,
 & oris testudine totum Psalterium canere
 nullo didicit magistro, dignus & ipse, qui e
 caulâ in aulam, vel aulâ dignius Cœnobium
 assumeretur, ubi nullam Saulis lanceam ti-
 meret. Tantum apud Deum potuit, ut
 plantaria colenti nulla unquam cruce sata &
 brassicas læderet; neque vermiculos solùm,
 sed aves etiam ita obsequentes habuit, ut ex
 manu ejus pranderent cœnarentq;. Rigente
 brumâ ædes Sacerdotis foco fovendus subi-

P 3

erat,

RIL-

erat, quem aliis, quàm vellet, calere ignibus sensit. Sacerdos enim & loci Præfectus unà tum fortè prandentes, Venerem prætextatis verbis nominare ausi, cor WALE-
RICO dolore exussere. Abeunte Divo, mox Dei vindicta subiit; Sacerdos oculis captus est, Præfectus lentâ foedaque morte contabuit, longas ambo linguæ lascivæ pœnas daturi. Eâ sub arbore tumulari deniq; WALERICVS voluit, sub quâ Deo supplicare vivus consuevisset, ratus bene ibi corpus quiescere, ubi bene vixisset. Et verò cubare se molliter manifestè ostendit; ne in aram quidem à S. Bernardo invitatus migrare sustinuit.

Ex. Surio.

MEDITATIO

De vitando turpiloquio & scandalosa Societate.

I. **S** Walericus adhuc puer pastor, & hortulanus. S. erucas ex hortis oratione fugavit. Cave sis tu. ô bone Christiane, ne quas erucas germinibus hortensibus noxias ille oratione proscripsit, tu lascivo sermone susceites in corde audientium, quibus flos innocentiae corrumpitur & proditur camerina luxuriæ tuæ, & fructus bonorum operum perditur: *Nam de fructu oris sui unusquisq; replebitur bonis.*

honis Prov. 12. v. 14. Si tamen saniora loqui libeat.
Sin aliter propter peccata labiorum ruina proximat. ma-
lo. Prov. 12. v. 13.

2. Walerico intervenienti non illud christiano-
rum duorum Sacerdotis & Præfecti simul epulanti-
um & spurcè colloquentium Symposium, sed Pha-
raonis mensa, coeno ranarum horrida esse videba-
tur; ideoque aufugit. Si verbum lascivum sputum
est diaboli in ore cujuscunque Laici, quid erit in
ore Ecclesiastici, Religiosi & Sacerdotis? S. Pet.
Dam. l. 6. Ep. 26. *Faceat ab ore Militie Christianæ
omnis vani rumoris ineptia, & lingua qua immaculati
agni, imò summi Verbi rubet sanguine, dedignetur otio-
si sermonis sese fœcibus inquinari. Ne Sacerdos linguam
corporis Dominici velut patinam Diaboli sanie per-
fundat.*

3. Walericus fugit citò, quod citò nocere po-
tuit, servandum hîc Epicteti monitum Enchr. c. 55.
*Periculosum est ad orationis obscœnitatem progredi; cum
igitur tale quippiam inciderit, aut si feret importunitas,
objurgabis eum, qui sermonem illum injecerit, aut taci-
turnitate saltem, rubore vultus, ostendes tibi displicuisse.*

S. FRANCISCUS DE PAVLA.

2 Aprilis.

*Qui major est in vobis, fiat sicut
minimus. Luc. 22.*

P 4

FRAN-

FRANCISCUS de Paula decimo tertio ætatis Anno, à parentibus ex voto S. Francisco consecratus, monente Deo, novam Religionis familiam Minimorum nuncupandam condidit. Piorum ope ædiculam sacrã molientem S. Franciscus monuit, ut angustiis illis prolatis, ampliorem faceret: impensas causantem fidere Deo iussit; muris ergò dejectis, mox ab homine copioso magnã vim auri in opus accepit. Cùm virtutibus omnibus abundaret, ardebat tamen charitate maximè, quæ ad illum coelo defluxit globo igneo inscripta, ejus tessera futura & ordinis insigne; ea flamma cùm totum hominem corripuisset, nihil mirum est, ardentes deinde titiones impunè tractasse, subiisse caminos, cibos quin adeò absque foco solã charitatis flammã percoxisse: sed animos hominum eodem incendio ambussit, & extremis odiis dissidentes non alio ferrumine colligavit, artificiosus in miracula sancti Amoris. Ut cùm fratribus duobus Pomiferæ arboris causã inimicitias inter se alentibus, arborem dissilire mediam iussit, neuter ut uno pomo esset ditior; vel cùm pauperum causam apud Regem acturus, nummũ aureum inter digitos diffregit, ex quo cùm

san-

sanguis copiose manaret, inopum eum esse
dixit, qui acerbis exactionibus exugerentur.
Hac deniq; virtute ad cælum subvectus est
Anno MDVII. eadem fiducia aërem trans-
volans, quâ olim mare pallio suo instratum
enavigavit. *Ex vita.*

MEDITATIO

*In tres virtutes S. Francisci de
Paula.*

1. **T**anta fuit charitas hujus sancti, ut ordinem
suum hac epigraphe (Charitas) insignire
voluerit: spretis voluptatibus mundi, bona abdi-
cavit omnia, ut unum amaret JESUM, solamq; ejus
gloriam ubique, & semper procuraret. omnibus
probavit amorem suum erga proximum, omnium
saluti incumbendo. Quomodo imitatis charitatem
hujus Sancti?

2. Tanto odio corpus suum habebat, ut duris-
simâ vivendi ratione excogitatâ, solis cibis tempore
quadragesimali licitis, & oleo duntaxat conditis ve-
sceretur, ad quam tamen victûs austeritatem pecu-
liari voto Religiosos suos obstrictos teneri voluit:
per totum annum cibus, tempore quadragesimæ
prohibitis, abstinere; tu verò vix, ac ne vix qui-
dem quadragesimali tempore præcepto pares. Si
mente gustares fel Christo propinatum, aut amari-
tudinem, quâ qui gulæ dediti fuerunt, in inferno
satiantur, impostero gulæ tuæ non ita servires.

3. Quamdiu vixit, Christianam coluit humilitatē; amabat nesciri, & pro nihilo reputari, nec prius venit in aulam Ludovici XI, quam iusserit summus Pontifex. Minimorum nomen, quo filios suos vocari voluit, satis indicat, quantum amaret humilitatem. Hujus sancti exemplo *Vanitatem tanto magis fuge, quanto melior effectus es; cetera enim vitia crescunt vitiis, vanitas virtutibus.* Eucher.

S. RICHARDVS
EPI COPVS.

3. Aprilis.

*Beati pauperes Spiritu, quoniam
ipsorum est regnum caelorum.*
Matth. c. 5.

RICHARDUS natione Anglus fratris inopiam servilibus ministeriis voluntate susceptis, levavit, eidemq; paternam hereditate, pactoque nobilis & opulentæ virginis matrimonio cessit. Dum litteris navaret operam, nullo certo vivendi præsidio, communi cum sodalibus duobus pallio, vicissim scholas aditurus utebatur. In Episcopatus fastigium evedtus, cum honore, ut assolet, non mutavit morem, paupertatem à se fugientem velut elapsam bonam fortunam in-

secu-

secutus: aureis quippe argenteisque vasis in
 pauperum annonam expensis præstare didi-
 tabat fictilibus, more parentis, cænare, quàm
 Christum egenorum turbâ representatum
 esurire. Vno pane mille homines saturavit,
 Deo voluntati benefaciendi facultatem sug-
 gerente. Aliquot domorum suarum, incca-
 dium restrictæ ad largiendum manûs vindi-
 ctam est interpretatus; & quos multi con-
 vicio à se manûq; rejiciunt inopes, tanquã
 accepturus, non daturus beneficium, ad pe-
 tendum blando affatu excitabat: cujus sa-
 rationem postulatus, illud ex divinis litteris
 protulit: *Domine prevenisti eum in benedictionibus
 dulcedinis.* Sub mortem notum Deiparæ cul-
 toribus carmen à Sacerdotibus lectulo ad-
 stantibus iterari voluit:

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ,
 Tu nos ab hoste protege, & horâ mortis sus-
 cipe.

Immortuus est sacræ crucis complexibus,
 ad annum M. CC. XLV.

Ex Surio

MEDITATIO

De paupertate & divitiis.

Si es pauper, vel quia Deus negavit tibi diviti-
 as, vel quia eas sponte reliquisti, ut pange-

rem Religiosorum vitam amplectereris, ama paupertatem tuam. Esto verus pauper spiritu, & refræna sollicitam habendi cupiditatem: expecta partem tuam hæreditatis, gloriam nimirum cælestem; nullum alium Thesaurum habere velis, præter Deum tuum, quem gratiâ possidere potes. Si Deum possideris, possidebis omnia, & vitam viues felicissimam. *Quis potest esse pauper? qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est. Minutius.*

2. Si divitiis factis instructus, copiam inter & inopiam modum tenes, hanc ne fugias, ut illam parùm æquis rationibus æsequaris. Vide eos, qui sunt pauperiores te, & tuæ tibi fortunæ mediocritas placebit, gratiasque referes Deo, quod factus sis compos voti Salomonis, agebat enim: *Paupertatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria.*

3. Divitiis si affluas, cave tibi, pauperibus enim, non divitibus promissum est Regnum Cælorum. Si bonis terrestribus irretiêre, vix volabis ad cælestia. O! quàm difficile est, ea non amare, quæ tanto labore quæxivisti. An hæc odio habiturus es, quibus amorem tibi concilias & famam? Heu divites! quanto in periculo versamini! Timendum vobis est, ne cælestibus bonis privemini, quia abundantis terrenis.

SS. THEODULVS, & ACATHOPVS MM.

4. Aprilis:

*Venientes autem primi & accipien-
tes murmurabant: nos portavi-
mus pondus diei, & aestus, & hi
novissimi unâ horâ fecerunt, &
pares illos nobis fecisti. Matt. 20.*

Nemo vel citò vel serò nimis cæli viam
ingreditur, si quidem ingreditur. Iu-
nis ætate THEODULUS, senex AGATHOPUS
parili tamen cursu per Martyrum stadiū cu-
currerunt, anno à Christi ortu quarto supra
trecentessimum. Et THEODULUS quidem
ante cursum, bravium (certè arrham bra-
vij) scribitur è cælo annulum accepisse, qui
artificis cæli manum crebris miraculis, qui-
bus omnes passim morbos pellebat, lauda-
vit. Porrò cùm intra carceres, ambo adhuc
consisterent, in somnis ab ipso Numine sunt
animati, ipsi verò ad fidem exemplo suo ad-
ductos alios animarunt. Postridie ad virtu-
tis theatrum (tribunal tyranni) tracti, in
rubo-

ruborem hunc in lassitudinem tortores de-
derunt. Ea, quæ secuta est, nocte, iterum
carceribus clausi, idem uterque in somnis
somnia viderant. Naufragium sibi facere
videbantur, sed auspiciatum illud & nimium
fortunatum; quod cæteris quidem, quo-
rum longè plurimi erant, fluctu haustis, ipsi
nescio in quem montem cælo contiguum
evalissent, candidis ibi vestibis ornati. So-
mnium hoc dies explicuit. In mare cum
Saxis appendicibus abjecti ipsissimum Olym-
pum subiêrunt. THEODULUS deinde multâ lu-
ce candidus inde ad suos revisit, quod testa-
mentum facere esset oblitus. Dixit ergo hæ-
redes omnium pauperes, & te quoque in-
ter hujus testamenti executores hodie cupit
habere. *Ex Metaphr. apud Surium.*

M E D I T A T I O

*Conversio ad Deum nunquam aut
nimis propera aut nimis sera,
modo sit vera.*

1. **N**ihil magis tuum est ô homo viator, quàm
tempus: cujus usus à te solo pendet, ut
possis uti omni momento vel in vitam vel in mor-
tem. Sed & nihil minus est tuum quàm tempus,
cujus æquè ac vitæ tuæ abusus est vitæ. Scelesti-
us

us quidem nihil est avaro; temporis autem avaritia
& juvenum & senum æquissima usura est. Quocunq;
tempore non cogitamus Deum (sit juventutis. sit sene-
ctutis) Pata illud tempus amissum esse. Cæsar. Mo-
nit. 2. c. 3.

2. *Alii consummati in brevi explent tempora multa.*
Aliis curus longior est & vita laboriosior. Deus
tamen justissimus Paterfamilias fervorem & purita-
tem intentionis magis attendit, quàm tempus, quod
homo impendit. Veneris manè aut serò ad Domi-
num, præmiũ recipies juxta mensuram fervoris. An-
nos non respicit Dominus, sed fructum computat
annorum.

3. *Suavis est Dominus Vniversis.* mittit sagemam su-
am in mare, & trahit ad se in nexibus charitatis ju-
venes & senes: nec emittit foras nisi malos; nec
eligit in vasa nisi bonos. Stude ut deprehendaris esse
bonus. Dicat pœnitens Senex: *Ab serò te amavi*
dicat juvenis: *bonum est homini si portaverit jugum ab*
adolescencia sua.

S. VINCENTIUS FERRERIVS.

5. Aprilis,

*Castigo corpus meum, & in Servi-
tutem redigo, ne, cum aliis præ-
dicavero, ipse reprobus efficiar.*

! Paul. ad Corinth. 9.

S. VIN-

SVINCENTIUS antiquâ Ferreriarum fa-
 miliâ in Hispania natus, primis statim
 annis documenta edidit Magisterii Pietatis,
 quod vir exercuit, jam puer inter pueros
 Magnus Orator: Ea initia egregia indole
 ac litterarum eximio profectu fecit auctiora,
 omnem libertatem pertusus, quæ levitatem
 oleret. Ingressus S. Dominici familiam, &
 Christi aspectu, morbo levatus, ejus impe-
 rio populos ad poenitentiam evocare insti-
 tit, tam strenuè quidem, ut satis constet
 judæorum viginti quinque millia, totidem ferè
 Saracenorum, Christo ejus operâ conciliata;
 Christianorū centum viginti millia eidem re-
 conciliata: publicis flagitiis infamiū quadra-
 ginta millia ad Innocentiam reducta ardorè
 dicentis inde intelligas, quòd capitalia ausos
 cum ad furcā comitaretur, oratione primū
 effervescente, mox colliquescente, denique in
 cinerem exarescere coegerit felicissimo sup-
 plicio amoris extinctos. Tot spoliis Orco ab-
 actis triumphantem mirum non est, si Styx
 odit & spoliare castitatis gemmâ contendit,
 quantumvis irritò conatu, quòd in Magnæ
 Matris tutela esset, quæ suo pugili adstitit,
 & victorem rude donavit, in nos quoq; ex-
 emplum repetitura, si cum VINCENTIO

vin-

vincere vellemus. Acta olim furiis mater,
ac proli suæ iniqua, infantem in multas par-
tes secuerat: has collectas vir sanctus inte-
gritati vitæque restituit, post dæmonem eti-
am de morte triumphans, quæ proinde ob-
struere viam huic sideri non potuit, quo
minus ad cœlum Anno M. DC. XVIII.
ferretur. Ex Suvio,

MEDITATIO

De apparatu supremi iudicii

1. Terribilis erit ultimi iudicii apparatus, hor-
renda videbuntur signa, Sol cruentus, ær
igneus, vehementioribus procellis agitatum mare,
terræ motus, fames, sterilitas, bella, morbi. Ad-
hæc tam callide fideles exagitabit Anti-Christus,
vix ut ipsi possint resistere. Credo Domine, me
auditorium esse terrificas tubas vocantes ad iudici-
um. Si quando senseris ad aliquod crimen te cieri, in-
mentem revoca, nulli tolerabile Christi iudicium. Basil.

2. Cerne animo vallem Josaphat, variis refertam
populis. Jesus de cœlo descendet copiosâ Beato-
rum coronâ stipatus, ut omnes homines iudicet:
ad ejus dexteram boni Angeli, & Electi omnes,
ad sinistram verò damnati, longâ dæmonum cater-
vâ circumsepti. Heu! aliquando ero in hac valle
lachrimarum. Quid de me tunc fiet? Nescio: At-
tamen hilarem vitam ago, quamvis ignorem, an
ad dexteram, an ad sinistram sim collocandus.

3. Considera, quid tunc dicturi, quid cogitaturi sint electi. An eos pœnitebit, mundi vanitatem contempſiſſe? Attende etiam ad ea, quæ dicturi ſunt damnati; En! inquit (Electos indicantes) en! quos aliquando habuimus in deriſum: Quàm tamen prudentes fuerunt! ipsis verò damnatis quàm lugubre erit, Deum videre & perdere! & ante pretii ſui perire conſpectum. Eucher.

S. GVILIELMVS Abbas.

6 Aprilis.

Omnia autem probate, quod bonum est tenete. Paul. Ep. i. ad Theſſ.

GVILIELMVS domi nobilis, Hugoni Abbati, apud Pariſienſes, à parentibus ad omnem pietatem informandus traditus eſt. nec abhorrebat à diſciplina pius animus, qua comite feliciter in litteris progreſſus, facile ſuperabat æmulos, quibus ob morum integritatem faſtidio fuerat. Patebat multorum invidiæ, quam ille æquo animo perfe-rens nihil alienum à virtute patrabat quæ ſedem firmam in pectore ipſius jam fixiſſet. Dubius quo vitæ genere virtutis ſtudia decurreret, monente tandem ſe- veriùs Odone Abbate, & objecta Chriſti crucifixi

crucifixi in vitrea fenestra depicti specie, pectori ejus faces subdente, in religiosam se familiam recepit, in qua caelestibus promissis accensus ita se probavit aliis, ut Roschil- densibus praeficeretur Abbas. Et quia pii omnes adversis exercentur, nequaquam ab his vir sanctus eximius fuit, caeli nihilominus deliciis sustentus. Gravius decumbenti S. Genovesa virgo solamen & morbo medicinam attulit. Morituro denique Reparator noster Sanctis comitatus conspicuū se fecit, scilicet ne mortis larvā terreretur. Caelum anno MCCII. subituro paratum solium ejus discipulus videt, coronamq; rarum opus & Angelorum manibus elaboratum; sed gemmas GVILIELMVS suppeditavit, virtutes suas, quarum nos nomina fortasse scimus & subinde de pretio disputamus, sed subterfugimus patientiae scalpellum, sine quo nulla gemma calatur. *Ex surio.*

M E D I T A T I O

De rectā eligendi ratione.

i. **C**um aliquod vitae genus eligendum tibi est, ut nunquam te poeniteat consilij ac electionis tuae, primum omnium Deum etiam atque etiam obsecra, ut doceat te, facere voluntatem suam; & da operam, ut animus tuus paratus ac promp-

Q 2,

tus

tus sit ad exequendum, quidquid Deo libuerit. Deinde aperi moderatori conscientiae tuae consilium tuum; is quippe Dei vicem gerit. Felix consiliorum eventus a Domino plane pendet: adjuvabit te, si ex ejus nutu ac voluntate omnia praestiteris.

2. Pondera rationes, quae te impellunt ad hoc, vel illud eligendum, & eas, quae pariter ab eodem retrahunt. Hae rationes peti debent ex fine, ad quem creatus es, ad hunc verò finem es creatus, ut salvus fias. Salus tua sit norma electionis tuae. Considera diligenter, utram facilius hoc, quam illo vivendi instituto aeternam felicitatem consequi possis. *Vtere consilio, quod tu ipse dares amico, si periret, ac tu, indigeret. Vide quid factum à te velles ultimo vitae puncto.*

3. Vbi primam Dei cognoveris voluntatem, eam sine mora exequere. Deum ridet, quisquis ab eo petit consilium, quod non est secuturus. Ne te terreat difficultates, non deerit caelestis gratia, quam omnes superare poteris. Salus tua sit magnum ac unicum negotium tuum. *Nam quid prodest homini, si totum, quod extra se est, congregat, & hoc ipsum, quod ipse est, damnat? Gregor.*

S. HERMANNVS CONFESS:

7. Aprilis.

Ecce Mater tua. Joh. 19.

HERMAN-

HERMANNVS septem annorum pue-
 rulus coepit inter ultimam retum om-
 nium inopiam Musas, sed præ Musis im-
 pensè MARIAM colere. Eam cum in tem-
 pli oede ludentem cum FILIOLO & D. Ioanne
 vidisset, dextrâ VIRGINIS in societatem acci-
 tus, homo Superis collusit; puto ut cælum
 ostenderet, quis maximè ludus studiosum
 adolescentem deceret. A ludo saxum mon-
 stravit PATRONA, unde, quoties egêret,
 nummos promeret. Ita Mecenate cælo usus.
 Simul ut annū XII. fuit ingressus, mundo est
 egressus, ratus longum cæli iter adolescen-
 tiæ maturè iucundū esse. Inter religiosæ vi-
 tæ studia tam amor in HERMANNO MA-
 RIÆ, quàm HERMANNI in MARIA crevit,
 ut eum primùm amantissimo JOSEPHI no-
 mine donaret, tum deinde in sponsum eli-
 geret, dotemque in manus, omnes cæli di-
 vitias, FILIVM daret. Aegritudines illius
 complures sua manu absterfit. Tristiores,
 quòd munitis aliis distractus precibus vacare
 non posset, monuit, plus apud superos soli-
 cita in alios studia, quàm quieta inter preces
 suspiria mereri. Quoties genu supplex MA-
 RIÆ nomen venerabatur, toties omnibus
 perfundi sibi odoribus visus est. Cælo hie-
 mante litantis manus, ne à frigore offende-

rentur; IESVS & MARIA fovebant, duo utiq; calidissima sidera. Corpusculum mortui ut supra terram semper, ita etiam sub terra diu integrum mansit; an quia odoribus, quos memoravimus, illud condivit?

Ex Surio. .

MEDITATIO

De cultu Beatissima Virginis.

1. **M**aria est Mater tua; idcirco plurimum ipsi confide: pete ab ea omnia cum corpori, tum animæ tuæ necessaria: eos amat, qui cum ipsâ familiariter de suis miseriis ac necessitatibus colloquuntur. Enim verò ut pia mater libenter & cum gaudio accipit filium, ad se confugientem, ita te accipiet Maria: nam in amandis filiis suis nulli cedit matri: ad hæc potentior est quàm quælibet alia mater; & sanè cognosceres, quantum amat, & quantum potest, si quotidie diligentius expleres debita ipsi officia. Quanam sunt preces tuæ, quanam facta ex quibus argui potest tuus in Mariam amor?

2. In afflictionibus invoca Mariam; in dubiis consule Mariam; in mœrore aperi Mariæ causam tuum mœroris, & citò citius evanescant afflictiones; dubia, &c. Nullos habes aut propinquos, aut amicos, qui te plus ament, quàm Maria, quique consilium dare tibi velint, aut possint, rebus tuis magis salutare. O Amantissima omnium Christianorum parens! si tuâ in nos charitate uteremur, breviores essent afflictiones nostræ.

3, Dum sic tentaris, ut adsit peccandi periculum; voca Mariam: cum peccaveris, obsecra Mariam, ut ejus ope è peccato tuo emergere possis. Maria est refugium peccatorum; si eam invocaveris, nullam non vinces tentationem. *Per te, Maria Virgo, habedimus misericordiam miseri, ingrati gratiam, veniam peccatores.* Aug.

S. VVICTERPVS
EPISCOPVS.

8. Aprilis.

Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus.

Paul. ad Hebr. cap. 14.

DE WICTERPO Gallia contendit & Bojaria; sed cœlum pridem litem diremit, cum sibi illum vindicavit verior patria. Pontifex Augustæ, fundum, quem ad Julias fauces habebat, Eptaticum, DD. VIRGINI, & Laurentio donavit, locumq; eum velut ad sanctiores ferias Tusculum habuit, frustra Henrico Antistite etiam mortuum inde auferre adnitente, cum vel MARIA WICTERPVM suum nollet dimittere, vel WICTERPVS à MARIA nollet recedere.

Q4.

templum

Templum quoque D. Afræ, quæ inter Hun-
garorum populationes alteras penè flammis
passa est, è cineribus in pristinum splendo-
rem erexit. Vos qui sacra manibus tractatis,
unum audite, & exhorrescite: D. Herluca
Virgini à morte tam fuit familiaris, ut, quo-
ties ferè ad epulam sacrum iret, comes iret,
aut dux WICTERPVS. Fortè solam Her-
luca se credidit inter preces, sed sola non
fuit. Adfuit cum WICTERPO Christus,
triste oculo amantis spectaculum, & verbo,
iplissima Pilati scena. Nihil hic, tantùm la-
crymæ & gemitus loquebantur, & nimirum
torora, quot vulnera clamabant: illud etiam
WICTERPVS ad Herlucam addidit:
*ad hanc formam sponsi expallescis, soror? illa: emorior; ille
iterum: Cupis ab oculis theatrum crudelitatis hoc
amotum? Illa iterum: Ah! percipio. Ergo, sub-
jicit WICTERPVS, oculos nega Richardo,
sacrificanti, cujus impuritas carnifex est
sponsi tui. Audiit, abstinuit ab impuri sacris,
idemq; ut vulgus faceret, auctor fuit. O ætas
nostra! sacra! ô Sacerdotes! eja dicite: oculos
hominum à vobis si abducunt Superi, qui-
bus ipsi vos aspicient, nisi iratis?*

Ex Bay. S.

MED.

MEDITATIO

*Vii fides sine operibus mortua est,
ita & dignitas Sacerdotalis in Sa-
cerdote non Sancto statua
exanimis est.*

1. **A**D salutem fides integra, & quodammodo
caeca requiritur, ut credamus omnia, quae
Ecclesia credenda proponit. Quid mirum, si minus
capias ea, quae credere debes? nam qui fieret, ut
tam angustum ingenium tuum, quod vix capit, quae
oculis omnium obversantur, capere posset incom-
prehensibilia fidei mysteria? Captivemus intelle-
ctum, & credamus omnia, quae ab Ecclesia cre-
denda proponuntur.

2. Fides sine operibus mortua est; non ideo z-
ternis gaudiis poteris, quod Christiano nomine
fueris insignitus; nec sanctus es ideo, quod sanctus
sed quia sancte tractas, & quod tanti nominis
mensuram operibus imples. Falleris, si existimes,
posse te ex nomine tuo, tanquam syngrapha, caele-
stis Patris haereditatem postulare; nisi enim Chri-
stum imitatus fueris, frustra dices, te Christianum
fuisse, imò te supremus iudex propter tuum nomen
& citius damnabit, & gravius puniet. Peccata tua
graviora sunt, quam peccata Gentilium, quia: *atro-*
nisi sub sanctis nominis professione peccamus. Salvianus.

3. An incumbis operibus, quae deceant Christi-
anum

anum? Considera singulas actiones tuas, vide, num
 peinde terrena quæras oblectamenta, quasi non fo-
 rent cœlestia. Numquid Gentiles & hæretici dili-
 gentius comprimunt suas cupiditates, & sæpius
 largiusque miseros sublevare consueverunt? *In no-
 bis patitur Christus opprobrium, in nobis Christiana lex
 patitur detrimentum.* Salv.

S. MARIA ÆGYPTIACA

9. Aprilis,

*Gaudium erit super uno peccatore
 pœnitentiam agente. Luc. 15.*

Avdite omnes apud Divinum tribu-
 nal rei: Patronam si **MATREM** Iudi-
 cis habetis, causam peractam habetis: certè
 causa laboravit illa **MARIA**, cui nomen **Æ-**
 gyptus dedit, & tamen hâc non cecidit, ubi
 melior **MARIA** peroravit. Quid enim? no-
 minis illa sui oblita, ut voluptati litaret, pu-
 dorem non venalem, sed gratis omnium li-
 bidini exposuit: quin festo exaltatæ crucis
 die, cùm Hierosolymam orbis conflueret,
 ausa est velle ibi infanda Veneris sacra pub-
 licare. Sed molientem ter pedem impurum
 templo inferre, ter repulit vis arcana. Quid
MARIA? ad **MARIAM** abit; quid agis mi-
 fera

feras? Veneri patrocinari vis virginem? O
 Quid apud Matrem non possunt lacrymæ?
 quid non lac Matris apud sanguinem potest
 Filii? Orat illa, exorat ista: absolvit iudex
 admissam, quam absentem damnaverat. Sed
 audite pœnitentem, qui peccantem inspici-
 tis. VI. annis supra XL. delevit lacrymis fe-
 ras inter, quidquid inter homines peccave-
 rat, semper oppugnata ab Orco, semper vic-
 trix VIRGINIS auxilio; nulli hominum nisi
 Zosimo visa. Is divino ductu ad eam venit,
 & vitæ seriem, quam dedimus, audivit;
 cum sacro dein epulo revisit, quod ut cape-
 ret MARIA, per Iordanem sicco vestigio
 advolavit. ita puram cum undæ jam probas-
 sent; secundo redux defunctam in arenâ of-
 fendit; anxio verò de sepultura Leo super-
 venit, & fossam unguibus dedit, æternum
 non tam pœnitentis; quàm miserantis MA-
 RIÆ monumentum. *Ex vit. PP.*

M E D I T A T I O

De pœnitentia agenda.

I. Sicut nullum est momentum, quo Deum non
 experiris beneficum, sic nec momento susti-
 ne illum offensum. Æterni interitûs discrimen est
 gravius aliquod vel momento fovisse crimen. Of-
 fensa omnis in semitâ Cœli error est, quò diutiùs
 procedis eò longiùs à Deo recedis. 2.

2. Peccati venenū ideò noli retinere, quia te nondum occidit, occidisset enim, nisi Deus pepercisset. Quò is parcat diutius, tantò puniet gravius. Potestne tibi placere peccatū tuum? quod Deum hominem mori coëgit? & cuius sola cogitatio sanguinem expressit; tibi nondum suspirium, ne dicam lacrymam extorsit?

3. Penitencia appellata est quasi punientia, eò quòd ipse homo in se penitendo punit, quod malè admisit. Hugo. lib. 3. de Mini: Ecclesie. Et nondum penitendo punis? peccasti cum Ægyptiaca? cum Davide? cum Petro? punit peccatum in te, uti penitentes & illi punierunt in se, nec æternum punieris.

S. M A C A R I U S P A T R I A R C H A

10. Aprilis.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur Matt. c. 5.

MACARIUS Armenus Patriarcha Antiochenam sedem beavit, sed multò magis pauperes quos unos domi palatinos, foris antecambulones habuit. Ob id & quæ jam tunc patrabat mira, ne in ore omnium esset, omnium oculos fugit, & sub quo lateret ignobilis, sepulchrum Christi petiit. Sed Saracenorum.

Tacenorum scelere ad ipsa ossa usque lacera
 virtus & tribus clavis pavimento affixa
 pressaque pectus ignito saxo, ut ferè solet,
 se ipsa prodidit. Prodière Angeli in auxi-
 lium missi, ipsique jam hostes Macarium, &
 quod caput est, in Macario Deum agrove-
 runt. Interea parentes suum esse dedecus
 arbitrati orbam filii insulam filiumq; exulè
 videre, mittunt, qui, aut verbis, aut vi ad-
 ducant. Et jam parabant hanc illi, sed coelò
 pugnante capti oculis manibusq; quas ad
 facinus extenderant, Macario se dediderunt.
 Hic Cruce, quæ illi scipionis loco serviebat,
 oculos & manus reddidit, itaque expeditus,
 exul orbem deinde pererravit. Bojariaz quoq;
 hospes, demùm Gandavum in Flandriam
 pervenit, relictis ubique symbolæ loco in-
 gentibus miraculis, quæ unico suo scipione
 dedit cruce insignito. Flandriam cum diris-
 sima lues popularetur; sese cum gemino so-
 cio vicariam urbis victimam morti objecit.
 A morte geminum circulum coeli ostende-
 runt, & Crucem in altero, ut sciremus, quò
 Crux scipio illum abduxisset. Sed numne
 Mariam amavit? Non nisi in crypta eidem
 dicata sepeliri voluit. Et verò ubi mollius
 ossa nostra jacerent, quàm in sinu Mariæ?

EX SUR, & BAY. S.

MEDIT.

MEDITATIO

Quanam debeat esse causa lacrymarum nostrarum.

1. **L**uge miseras tuas, mundus, in quo versaris, **L**est lacrimarum vallis, innumeris propemodum referta calamitatibus: imò ipsamet mundi hujus voluptates sunt plerumque fontes multarum lacrimarum. Lacrymantes nascimur, vivimus in lacrymis, & morimur in mediis doloribus, suspiriis, singultibus. Et amamus vitam hanc! Et fugimus ac detestamur mortem, quæ finem ponere debet lacrymis ac laboribus nostris!

2. Luge peccata tua, exemplo Davidis, qui lacrymis stratum suum rigabat, & cum fletu miscebat panem suum: si mors parentis, aut amici, si rei familiaris jactura tot lacrymas ex oculis tuis efficiant, an non paradisi jacturam profuso lacrymarum imbre deflere debes? Luge etiam peccata aliena, si amas Dominum Iesum, quoniam his peccatis iterum affigitur Cruci.

3. Te ipse consolare, tu, qui luges aut miseras, aut peccata tua: exilii tempus sensim labitur, sensimque accedis ad patriam. Ipsamet Deus lacrymas tuas in cœlis absterget, imò in hac etiam vita te consolabitur, si peccatorum tuorum dolor sit causa lacrymarum tuarum. Num aliquando expertus es, quàm suave sit, flere peccata tua? *at si tam iucundum sit, flere pro Christo, quàm iucundum erit, gaudere cum Christo?* Aug. S LEO

S. LEO, Summus Pontifex

11. Aprilis.

*Tu, quia pius es, miserere nostri,
aut in tuo flagello vindica iniqui-
tates nostras. Judith. 7. v. 20.*

SI vis ex ungue Leonem, scripta magni
LEONIS lege, à S. PETRO approbata.
hic natione Tuscus, omni literaturâ
præstans, eloquentiâ Christianus Demoste-
nes, imò cœlestis Orator passim habitus,
ex Archidiacono Romano, omnium suffra-
gatione absens in Papam electus, primus LE-
ONIS nomen assumit, & meruit; fortissimus
enim Pontificum ad nullius pavebat occur-
sum. Attilam, post vastatum propè orbem
Romæ minantem, potente suâ eloquentiâ,
& S. Petri minitantis aspectu, absterruit, at-
que ut retrocederet, persuasit. Gensericum
Wandalum, urbe jam captâ, excidium pa-
rantem, animosè appellans, ut sacris & tec-
tis parceret, exoravit: Bmæ Virginis hono-
rem contra Nestorii blasphemias acerrimè
defendit: Manichæos & Pelagianos Romæ
convicit, pestilentesque hæretum libros
publico foro exussit, Latronum Ephesi Eu-
tichianorum

LEO

Nichianorum concilium, Romana in syno-
do, cum Dioscoro hæresiarcha condemna-
vit, invictus & Magnus semper. Ante mor-
tem Apostolorum Principem pro erratis su-
is deprecatores cum invocasset; significa-
vit sanctus omnia ei peccata remissa præter
manuum impositionem, cuius scilicet pæna ei
tubenda, si indignos consecrasset. Obiit
senex, ingenti urbis luctu & orbis totius
damno: quia in amissione tam Magni parvum
esse jactura non potuit. Ex Lippeloo.

MEDITATIO

De flagellis à Deo immisissis.

1. AD corrigenda hominum scelera, & maxime
Christianorum, si invaluerint, Deus laniones
immittit non medicos. Talis fuit Attila: Flagellum
Dei dictus à se ipso, ferro & igne, ultor & emendator
orbis Christiani, bonum scientis & non facientis,
ideoque magis digni verberibus. Præcipue si domus
Dei sit spelunca latronum, iratus Dominus factus ejus-
modi flagello ejicit vendentes & ementes, & malorum
morum subvertit abominationem. Pro ratione sta-
tus tui stude cultui divino & promove, ut Deus
avertat tam dura flagella.

2. Unus homo LEO Pontifex Maximus, por-
tentum Sanctitatis, & unus homo Lupus Trecentis,
miraculum mansuetudinis, eodem sæculo, continu-

ere

ere Attilam monstrum malitiae, & cum eo septin-
genta hominum millia absterruerunt. Tanti refert
virtutum actum explicare contra Ecclesiae inimicos
& mundi ac tenebrarum potestates; disce, quomo-
do flagellis à Deo immissis occurrendum sit, primò
excipe promptè. Psal. 31. *Ego in flagella paratus sum.*
2do. Humiliter & reverenter: *sicut oculi ancilla in*
manibus Dominae suae. [verberantis] ita oculi nostri ad
Dominum Deum donec misereatur 122. psal. 3tio. Obe-
dienter *Non mea sed tua voluntas fiat.*

3. Attila infestus Hunnus, flagellum Dei & la-
tto mundi, nunc Titio infernalis est. Vereatur im-
pius Dei, ad correctionem aut probationem, quos
amat & punit, flagellantis injustum flagellum esse,
cujus merces erit, quia voluntarium & impium
instrumentum fuit, ignis aeternus. Tu homo
Dei, si videris flagellum ejusmodi elevatum supra
dorsum tuum, dicito hic feri, dummodo parcas
in aeternum.

S. ALFERICVS Abbas.

12. Aprilis.

*Qui se existimat stare, videat ne ca-
dat: tentatio vos non apprehendat;
fidelis Deus est, qui non patietur
vos tentari supra id quod potestis.*

1. Corinth. 10. v. 12.

R

Patria

Patria ALFERO Salernum, schola Prin-
cipis illic aula fuit. Ex hac ad regem
Germanorum legatus feliciter è via aberravit & ad Regem Regum in coenobium Clu-
niacense deflexit. Inde melior jam ad patri-
am legatus monachis illic præfuit, & Caven-
se Alceterium condidit. Ibi mali dæmonis
invidiâ ex altissimo monte præceps dejectus
risit incolumis veteratorem, altiùs olim
nec tam impunè cadentem. Incolam saxo
obtritum à socijs in oratorio suo id noctis
voluit deponi; manè deinde Vespillonibus
funus quærentibus hominem restituit. Qui-
na ova cum essent, sed septem hospites; si-
ne fraude, sed non sine miraculo & fortè
cum risu singula singulis attribuit. Vates
plurimis alijs fuit, ipse mortis suæ vatem
longè nobilissimum Christum habuit, qui
sexto die priùs quàm obiret, ALFERVM ad
coenam invitavit: condixit lubens, & quo
famem obsonaret, jejunus vênit. Miracula
mortuus continuavit. ex multis unum il-
lis narrabimus, qui ex Veneris hara ad Nu-
minis aram accedunt, & heu! imparati epu-
lo divino inter Virgines mentes, Angelos
accumbunt. Fuit qui quoties sacram men-
sam frequentare parabat, somniorum in-
temperie

temperie absterretur. Eam maculam etsi
 nulla sua culpa contractam, cum precibus,
 jejunijs, confessione semper elueret, redi-
 bat tamen ad invitum illa, & etsi scelus non
 esset, videbatur tamen esse. Tandem dor-
 mienti assistere ALFERVS visus est, &
 & fonti admotum sanctioribus undis lu-
 strare, jamque contra Stygis ejusmodi
 vulnera eximium facere. O similis, inquis,
 fons mihi curreret! At si oculos habes, bi-
 nos domi habes.

MEDITATIO

*De timore salutari & gratia Dei
 necessaria ad demonis supe-
 randas insidias.*

1. **A**lfericus infidi demonis reclinatus ex al-
 tissimo monte in præceps dejectus risit
 incolumis veteratorem. Ridebis eundem, si gra-
 tia Iesu salvabit te à ruinâ Spirituali. Sed time,
 ne tu prior ad tentatorem accesseris, quam ipse
 venerit ad te; peribis. si am-aspericulum, quod à
 pereundo dictum est. Discrimen includit crimen.
 Occasio peccandi parû differt ab occasu peccatoris.

2. Ne dicas, Tyro timet, asceta sum Veteranus,
 fortè enim quia Vetus fœnile es, citius corripe-
 ris ab igne, in potestate Tyronis, & Veterani mi-
 litis est inire pugnam; in neutrius arbitrio sine

R A

gratia

gratiâ Dei speciali potiri victoriâ. Ausculta Seneca lib. de ira, cap. 7. in præceptis datis corporibus naturalium sui arbitrium est: audi & Tullium Tulcul. 4. Qui se præcipitavit, sustinere se, cum velit non potest.

1. Igitur time cum arripserit gratia: time cum abierit gratia Salvatoris & time cum denud revertatur. S. Bern. Serm. 54. in Cant. Time cum adest gratia, ne non dignè opereris. Time cum abest, quia deficiente gratia deficiet tu, & dæmoni victus succumbes. Time cum redierit, si enim est gratia repropitiata, deterior fiet recidiva, quæ contingere tibi potest.

S. JUSTINVS Martyr.

13. Aprilis

Non enim judicavi me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum & hunc crucifixum.

Paul. ad Corinth. Epist. 2. cap. 2.

JUSTINVS Philosophus Palestinâ oriundus, literarum amator, varias in Philosophia sectas amplexus, Platoni tandem auscultare cœpit. Declinaverat fortè populi turbam, cum nescio quid ad mare secum meditatus, in hominem incidit, à quo immortalitatē & supplicia animorum edoctus, Christianam

Christianam veritatem aspexit, eandemque
 adversus hostes acerrimè tutatus est, sangui-
 nis & vitæ prodigus. Multa judæi gentesque
 adversum Christi cultores machinabantur,
 quorum causam apud Cæsari subcellia ma-
 gnâ dicendi libertate tutatus, illud impetra-
 vit, ut Christiani deinceps nisi maleficij con-
 victi essent, innoxij viverent. Nobilis ingenij
 monumentum hodièq; legitur, gloriæq; est
 bonis literis hanc piam operam Christo Ro-
 mæ impendisse, ubi melior nunquam cau-
 sa acta est, etsi optimo ejus Patrono sangui-
 ne stetit. Nam cum crescentem vitâ & dis-
 ciplinâ Cynicum, ignorantia hominis, mul-
 toque magis canina impudentia offensus,
 publicis congressibus vicisset; ea res scilicet
 Canem illum ad vindictam inflamavit: nul-
 la ratio perdendi Justiniani aptior visa, quàm si
 ut Christianum allatrasset. Exosum id no-
 men iterum esse coeperat & capitale. Ergo
 structæ D. Justino insidiæ haud sanè no-
 lenti; captus rogatusq; Christianusne esset;
 affirmavit; desereretne sua sacra? renuit:
 mortem subiret? voluit; id Christo mortali
 severo Judici gratum, sibi utilissimum fore
 affirmans: ac mox cervice securi subjecta vi-
 tam perdidit, perditurus, nisi perdidisset.

Ex Surio & Baron.

R 3

Meditatio

De scientia Sanctorum.

1. **L**icet humanis scientijs operam dare, ut
solim operam ipsis dedit S. Justinus, & ut
nunc complures, non minùs sanctitate, quàm re-
nrum scientiâ conspicui, ad cognitionem dun-
taxat, & honorem Dei. In his studijs uni Deo
placere studeas, alioqui jacturam facies tempo-
ris, humilitatis, & pietatis. Non ex te quaeretur in
alterâ vitâ, an huic vel alteri scientiæ studueris;
nec, an clarueris multarum laude scientiarum, sed
quis fuerit studiorum tuorum finis, & quâ ratio-
ne usus fueris tuâ scientiâ.

2. Quò quis doctior est, eò perfectior esse debet.
Atrociùs quippe punietur homo doctus, quàm ig-
narus, si malè doctrinâ suâ usus fuerit, nec ea fece-
rit, quæ sciebat esse facienda. Tua tibi profit sci-
entia ad cognitionem & amorem Dei. Heu! tantum
ponis temporis in humanis scientijs; in divinis ve-
rò tam parùm! *Vacat tibi, ut philosophus sis, non va-
cat, ut sis Christianus.* Paulinus.

3. Fac, ut doctrina tua alijs utilis sit: eos imbuere
mysterijs nostræ fidei. Tot barbari, tot gentiles,
tot homines cujuslibet conditionis neminem ha-
bent, qui doceat eos viam Paradisi. Appositis ver-
bis doce fratres tuos, quid facere debeant, ut pla-
ceant Deo, æternamque consequantur felicitatem.
At memineris, Christianum hominem virtutem piè
factis, quàm disertis orationibus magis persuadere.
Non loquimur magna, sed vivimus. Cypro S. LVD-

168. [090]
S. LUDVVINA Virgo.

14. Aprilis.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis 2. Cor. 2. c.

LUDVVINA formam obesse castitati videns, dignum Virgine rata est votum, deformitatem à coelo petere. Audiit hoc, & omnia morborum examina misit: ijs ita omnis gratia defluxit, ut nemini jam placeret cadaver domum ducere; sed sic illa demum formosa **CHRISTO** visa est. hic ex amantibus solus iam agræ cum Matre assidere; solius amoris sui & patientiæ symbola per Angelos lectulum ambientes ostentare: quorum certè unâ recordatione **LUDVVINA** cruciatus suprâ, quàm dici aut credi potest, graves, facilè tamen omnes redimebat. Genium Tutelarem ducem ad ea loca, quæ **CHRISTUS** olim præsentia suâ nobilitavit, ad purgantes item flammæ & beatas sedes habuit. Ab eodem donum è primi parentis horto lignum tulit odore nobile: ut inde una jam vel virginitas, vel patientia sperare quid posse videatur; in subsidium pauperum, ipsa pauperrima, peculium tamen corrogabat,

R. 4.

jesu

& JESU crumenam dictitabat, cui profecto omnes, cum audient avari, inuidebunt, quippe quæ exhauriri nunquam potuit. Homini facinoroso suavit, plumis in unum latus nocentem incumberet. Risit ille, sed cum hoc in plumis non posset, ne in flammis olim cogere-
retur, flevit deinceps. At LUDWINA Anno Christi MCCCCXXX. ægritudinis assidua ac multiplicis XXXII X. cum id dolorum incrementum impetrasset, ut ignibus nihil superesset piandum, mortua tandem est, vel, ut rectius loquar, tandem desijt mori.

Ex Ioan. Bruggman

MEDITATIO

Quo animo ferre debemus morbos.

I. **M**orbus est donum Dei, quod sæpenumero nobis utilius est, ipsa sanitate; consulto siquidem hunc morbum immittit Deus, vel ut puniat peccata commissa, vel, ut deterreat à committendis, vel denique, ut patientiam nostram probet, & merendi præbeat occasionem. Si quæreres ex conscientia tuâ, cur hoc morbo cruciaris? haud dubiè intelligeres, hoc morbo te affligi, ut vitia tua relinquas, & imposterum sanctior fias: nam morbus parens est multarum virtutum. Non ergo nobis dolenda est hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus, mater esse virtutum, Saly.

2. Fer patienter languores, dolores, quibus er-
 ciaris, imò hilarem animum præ te feras, & cura
 divinâ voluntate omninò consentientem. Cùm au-
 tem velit Deus, ut humanis remediis utaris, præ-
 sta te facilem & obedientem medicis, aliisque, qui
 tui curam gerunt. Qui morbo laborat, multas ha-
 bet occasiones exercendæ virtutis. Utere diligen-
 ter tam pretiosis occasionibus.

3. Ne sis tu querulus in morbis tuis, impatiens,
 molestus. Existima, esse te in lecto, ut in cruce
 considera patientiam Christi in cruce morientis,
 & eam imitare. Considera pariter animas, quæ
 levia propter peccata tam dura patiuntur in ignibus
 purgatorii: Et memineris justum patientiâ ab in-
 justo secerni. *In adversis per impatientiam queritur. &
 blasphematur injustus, patientiâ justus probatur.* Cypri

S. EUTYCHIVS Martyr.

15. Aprilis.

*Oportet enim contemptibile hoc in-
 duere incorruptionem, & mor-
 tale hoc ad immortalitatem.*

Epist. 1. ad Coloss. 15. c.

HOc die Ferentinates EUTYCHIUM
 martyrem colunt, etsi ubi, aut quan-
 do animam posuerit, nesciant annales. Sed
 hæc Fasti olim cœlestes loquentur, nam

R,

istis

istis sua commendare, hoc demum ego æternum famæ monumentum credo. Et nos quidem etiam olim facta nescimus, at EUTYCHIUS etiam post mortem vates futura scivit, & ut scirent alii, è tumulo monuit. Etenim Redemptus Pont. fortè templa sua obibat, sacra & sacrorum Curatores, non (quod hodie fit) alienis, sed suis oculis inspecturus. Ventum est Ferentinum. Hic festus lectulum sibi adornari propè tumulum martyris imperat, rectè humana æstimans, tantumq; censens à sepulchro lectum distare, quantum mors & mortis germanus frater somnus distant. Tunc quoq; inter curas infomnem ferè noctem agenti EUTYCHIUS vitus adflare, & quærere, num vigilaret. Affirmanti dein de illa verba tertium inclamare: *Fine venit universa carnis*, simul vaticinium ipse quoque finire. Atque hæc noctis prodigia dici portentosa exceperunt. Visa & audita cœlo arma quassari, & vento Aquilone duce castra ignea, & ignea acies imminere. Hæc verò omnia explicarunt non multò post Longobardi, cum è septentrione Italiæ se infuderunt, sacra humanis, humana sacris miserunt, clademq; patriæ intulerunt. Inter hos ipsos tamen armorum strepitus suaviter Redemp-
TUS

270] 272. [0*
tus obdormivit. Obdormivit, inquam, nam
parùm differre mortem à somno ostendit
vividus cum mortuis dormiens.

Ex Verrar. & Greg. M. Dial.

M E D I T A T I O

De resurrectione mortuorum.

1. **F**inis venit universa carnis: ita Eutychius Mar-
tyr ad Pontificem è sepulchro suo vaticinatus
est. Vaticinium hoc de nocte editum portenta di-
ei confirmarunt, Meditare tu Christiane veritatē.
Overitas! ita sanè est. Veniat finis universa carnis:
tunc corpus, quod in presentia opprobrijs, dolo-
ribus & paupertate premitur, gloriosum erit, im-
mortale, impassibile, & puris spiritibus propemo-
dum simile. Quanto gaudio Beatorum animarum cor-
pora subibunt, quæ laborum fuerunt confortia, &
instrumenta victoriarum? Mactè, labora, patere cor-
pus meum, resurges, & mercedem accipies labo-
rum, quos pro Christo toleraveris. In carne mea vi-
debo Deum Salvatorem meum Job.

2. Resurgent improbi: sed heu! quanto cum do-
lore miseræ eorum animarum deformia ac horrida repe-
tent corpora, quæ causa fuerunt æternæ damnationis.
Ecquid dicent? hos propter oculos, propter has
manus, propter hanc linguam, denique propter
tam vile corpus miserè perimus. Dum aspicias tu-
um corpus, subeat hæc cogitatio: meum hoc cor-
pus aliquando erit in valle Josaphat; an ut ex hoc
loco ad tartara præceps agatur, an ut ad cælos
transferatur? Nescio.

3. Post

3. Post resurrectionem non animæ tantum, sed etiam beatorum corpora, ad cœlestem Hierusalem avolabunt; animæ verò & corpora damnatorum detrudentur ad inferos, ut igne devorante in æternum comburantur. Diligamus corporis oblectamenta: *sed illa diligamus, que sine fine habebimus; illa timeamus, que à reprobis sine fine tolerantur.*

S. PATERNUS Episcopus

16. Aprilis.

Liberati à peccato, servi autem facti Deo: habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Paul. ad Rom.

cap. 4.

Nobilis Aquitanus S. PATERNUS fuit, à primis annis ascetis sectatus, unde & mater vestem ei paraverat eremicolis usitatam. Abstulit hanc in nidum suum rapax avis; at non abstulit tyroni religiosum animum, sicut & vestis in nido perennans illæsa demum reperta est. Vita PATERNO cum Scubilione quodam in solitudine, rigida in paupertate agebatur; cilicio cinctus, sine lecto, cibi parcissimus, assiduus in precibus gilabat

vigilabat, factus virgâ thaumaturgâ Moïſes
 in deſerto. Cùm enim rupem baculo percuf-
 ſiſſet, fons illicò ſaliſt in rivum viventem.
 Quocunq̄ venerat, ægri momento ſanati
 ſunt, & ex obſeſſis dæmones fugère: umbræ
 ſcilicet ad ſolis ortum diſſipantur. Creſcen-
 tio cuidam ſubita cæcitate punito, ob ne-
 glectam pauperum curam, quam ei rex Chil-
 debertus demandârat, miſertus PATERNVS
 viſum reſtituit, monens ut diligentius dein-
 cept pauperum ſubſidijs invigilaret. Tandẽ
 jam ſeptuagenario, tres de cœlo viſi Sancti
 Præſules, ei animarum cuſtodiam commen-
 dantes, quam ſubiit à ſolitudinẽ ſua extra-
 ctus ultimis annis & infulâ coronatus. Con-
 junxit tamen eum iterum cum Scubilione
 cremi ſocio unus, eâdem utriq̄ horâ obi-
 tus, ſed & unus, utriusq̄ corpus tumulus
 texit. Quidni eadem in cœlis eorundem a-
 nimas gloria exornat? *Ex Surio.*

MEDITATIO

Omnis vita rivo ſimilis.

1. **F**ONS, quem S. Paternus precibus ſuis impetra-
 vit, eſt vitæ ſymbolum & imago mortis. Ab
 eo deſtuens rivus ad mare centrum ſuum properat.
 Chriſtiani à Deo exiſtiſtis, & ad Deum debetis redi-
 re, itaque in omnibus & ſingulis actionibus veſtris
 unum

unum Deum spectate, ad unum Deum tendite. An est aliquid, si à Deo discesseritis, quod dignum sit amore vestro? *Quid mihi est in cælo? aut quid à te volui super terram? David.*

2. Hic rivus nec saxis, nec spinis retardatur: non hæret, non quiescit in canalibus ex metallo; aut marmore factis; non in ripis, herbis virentibus, & amœnis floribus consistit: ad mare semper properat. Tu pariter à viâ, quæ ducit ad Deum, nec adversis, nec secundis rebus declines: ne te retineant illecebræ vitæ jucundioris: sperne mundi delicias: vince difficultates, quæ occurrunt in viâ virtutis.

3. Hic rivus semper inquietus est, & quæri dices, quòd à mari tantùm distet. I, quòd volueris, fruire omnibus voluptatibus hujus mundi, nunquam omnino contentus eris; solus Deus potest animum tuum satiare: quietam ac felicem vitam vives, si ex toto corde Deum, nec aliud quidpiam, nisi propter ipsum quæsieris & dilexeris; si secùs feceris, semper inquietus erit animus tuus. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum cor nostrum, donec requiescat in te. Aug.*

S. HELENVS Confess:

17. Aprilis.

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Joan, 12.

Fugiendum est citò, quod nocet citò: Sappuit isto maturè HELENUS consilio, & è mundo

mundo prius, quàm pueritiâ exiit, tutius
inter feras quàm homines victurus. Jejunia
producenti Cacodæmon escas obtrusit; sed
HELENUS & cocum & dapiferum aspernatus,
cum Cælo quàm Orco prandere maluit; mox
enim Angeli, ut Christo quondã dapes esuri-
enti ministrârunt. Tntõa deinde promptius
ipse quoq; per longa itinerũ sparia aliis pran-
dia ferre, & si oneri succubisset, Onagris
eã imponere, nil repugnantibus, pigerrimis
alioquin animantium. Neque jam solùm
onera illius asini, sed ipsum etiam HELENUM,
cùm Mystam sacrificii causã accerseret, per
annem Crocodilus transvexit: adeò sancti-
tati obtemperant omnia. Discipulo ejus cùm
Orci minister libidinis faces admoveret, in-
cendiariũ HELENUS ad tantas redegit angu-
stias, ut extra circulum, quem in arenã sci-
pione descriperat, ne latum quidem unguem
aut unguam ponere sit ausus, donec turpe
incendium extingueret. Illud etiam memo-
rabile, quod illæsus ignem calcãrit, ut Zaram
hæreticum falsitatis argueret, qui perfidiam
suam per flammam probare non ausus, Ca-
tholicæ religionis, ut veri auri pretium auxit.
His facinoribus HELENUS Heliopolitanam
primũ

[080] 277. [080]
Primum mitram, deinde æternitatis coro-
nam meruit. *Ex vitis PP.*

MEDITATIO

De cultu Sanctorum.

1. **Q**uantus honor est ministrare Christo: a qua, ignis, feræ, & ipse Minister Orci obtemperarunt imperijs Heleni *ita honorati sunt Amici Dei.* Quàm gloriosum illis! prodigijs ac miraculis naturæ quodammodo imperare; Ambitiosi ex honores! quos non possidetis modo, sed quos querere debetis.

2. Honora reliquias ac imagines Sanctorum. Dædoperam, ut templa & altaria Deo sub eorum nomine consecrata, ritè decenterque decorentur: hæc cura, Deo gratissima non modicæ tibi erit utilitati: Sanctorum quippe plurimi gratiam habent curationum, & aderunt tibi, si quando aliquo morbo laboraveris. Eos etiam invoca in afflictionibus tuis, repulsam non patieris: sunt fratres tui, passi sunt eadem mala, quæ pateris: Non illis difficile est, homines adjuvare, quoniam maximè diliguntur à Deo, à quo nihil non obtinere possunt.

3. Sanctos imitare: illis placere, illos honorare magis non potes, quàm si eorum insistas vestigijs! Lege eorum vitas & in vitâ uniuscujusque selige aliquam virtutem, quam possis imitari. Quem sanctorum imitaris? An fuit aliquis, qui perinde ac tu vixerit: Opes ac delicias terrenas affectu saltem relinque

linque, ut aliquando cœlestibus cum sanctis potiaris. *Libenter igitur terrena amittamus, ut cœlestia seruemus.* Tertull.

S. URSMARVS CONFESS:

18 Aprilis.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut ego vos dilexi.
Joan. cap. 13.

Quo tempore mater gravem VRSMARO terebat uterum, venerandâ fortè canitie senex per vilum adstitit, puerulumque manu gestatum ejus curæ commendavit. Excusanti annonæ difficultatem, panem candidum porrexit, novo mox inter manus auctu grandescentem; prodigiiq; rationem ad nascituræ prolis doctrinam retulit, cum annis ad multorum mortalium emolumentum amplificandam. Simul monstravit enitentem in sublime filiolum per scalam cœlo insertam. Præsagio fidem adstruxit vita cœlestibus, quàm hominibus propior: nam Episcopus tempore succedente creatus, novem annis à pane humano temperavit, re-

S

liqui

liqui cibi tam modicus ut validæ membro-
rum vocisq; vires haud immeritò miracull
instar obtinerent. Dæmones frequenter in-
justâ corporum humanorum possessione de-
jecit: metu lemutum infestas ædes aquâ lu-
strali solvit, morbos curationum fines egres-
sos divinâ sanatione depulit. Porro charitas
sevandorumq; mortalium studium in emi-
nentissimū virtutis fastigium assurrexit, cum
esset quotidie cuiusvis hominis salutem san-
guine vitaque recuperare paratus. Rerum
adversarum patientia in Iobi comparationē
evexit. Obiit anno Christi DCC VIII. de
coelo obtinendo sollicitus imprimis, ut jam
scalas admoveret, antequam nasceretur.

Rather, Veronense.

M E D I T A T I O

*Diligere debemus proximum ut
Christus dilexit nos.*

1. **C**haritas Ursuari erga proximum eo usque
ad fastigium virtutis ascendit, ut esset pa-
ratus quotidie salutem vilissimi cuiuscunque homi-
nis sanguine & vitâ suâ recuperare; & hæc est di-
lectio Christi. An tu proximum amas supra com-
moditates tuas & laboranti opitularis?
2. Christus nos amavit, cum gravius eum offende-
remus: ejus exemplo diligamus etiam illos, qui
nos

nos odio habent. Facillimum est amare eos, qui bonis nos cumulant; hoc & impii, hoc Ethnici faciunt; amare inimicos Christianorum est. Examina Charitatem tuam juxta Christi dilectionem.

3. Christus nos amavit ut salvaret animam nostram: quantum potes, idem præsta proximo tuo. Nihil Deo gratius & proximo utilius, quam ex amore tuum amovere fratrem ab occasionibus peccandi: Mone, argue, increpa, ora Deum pro eo: O felicem! Si vel unam Christo animam lucrifaceres, pro cujus Redemptione pretiosam vitam Christus dedit. Tam pretioso munere ista Redemptio peragitur, ut homo Deum valere videatur. Hilar. Arelat.

S. VERNERVS MARTYR

19. Aprilis.

Si Christi esse vis, crucifige carnem tuam cum vitijs & concupiscentijs.

Gal. 5.

WERNERVS rustica ex Trevirensi agro progenies, egenis comparabat paratum diurno labore obsonium; vitrici asperitatē, ipse tam miti ingenio, fugere coactus, in opiliones haud paulò mansuetiores incidit: nam mapalibus fugientem, & esurientem cœnulâ exceperunt, quibus ne oneri forte

S a

hospea

hospes a symbolo, defixo humi baculo, novum è terra fontem salire jussit: à pastoribus digressus in feras incidit; annum enim agentem XIV. Judæi adhuc Christi in Christianis sanguinem sitientes capite pronò columnæ alligârunt, S. Hostiam ab ore repetituri: loris deinde ac ferro per omnia membra crudelissimè grassati satis docuerunt, quàm longè Apellæ omnem humanitatis sensum abjecerint; nam etsi triduo inter tormenta exacto omnium opem ac commiserationem exposceret, eam tamen neq; apud judicem argento corruptum reperit, inter acerbissimos cruciatus id unum habiturus solatii, quòd pendens demùm ad exemplum Christi animam efflavit. Cadaver ejus in speluncam abjectum est à judæis, ut à feris laniatum, credi posset, justà nihilominus ei cœlum persolvit; multâ face circum cadaver accensâ, quæ WERNERI innocentiam & Judæorum crudelitatem detexit.

Ex Surio

MEDITATIO

De similitudine cum Christo habenda in tolerantia crucis.

1. **W**ERNERUS inter Apellarum furias id unum solatii

solatij habuit, quod ad Christi exemplum pendens animam efflare posset pro Christo. Quis est in mundo, qui non pendeat in Cruce? sed quomodo? cum Latrone damnando pendent, qui blasphemant Deum, & averfantur, in quem respicere debent, Authorem salutis. O fatuitas! cruce scalâ cæli abuti, ut descendas in abyssum damnationis.

2. Pendent in Cruce cum Latrone liberando, quibus crux via est ad Dei agnoscendam justitiam, bonitatem, & sapientiam; justitiæ, se submitiendo ut reos; bonitatem amplexando, ut filius castigatus à Patre; Sapientiam adorando, quæ adhibendo media ad salutem attingit à fine ad finem & disponit omnia suaviter in negotio prædestinationis.

3. Pendent in cruce ad exemplum Christi, qui innocens oblatiis est pro nobis, quibus sine culpâ sua crux affectuosè concupita & amore Christi innocenter tolerata est gloriatio & exaltatio. Tres cruces in uno loco erant, in una latro liberandus, in altera latro damnandus, in media Christus alterum liberaturus, & alterum damnaturus. Aug. Epist. 43.

S. AGNES POLITIANA VIRGO.

20. Aprilis.

*Sic stulti estis, ut, cum spiritu cœperitis,
carne consummemini.* Gal. cap. 3.

S 3

Natale

NAtale solum AGNETI mons Politianus est. Quo die in lucem prodiit, multis vicinus æther facibus stellatis illustris vitæ primordia celebravit. Nono ætatis anno, quo virgines aliæ totæ pendent à matribus, D. DOMINICI institutum in sacro parthenone complectitur, quindecim annis panem & aquam viditavit, sæpèque cælesti pluviâ, qualis Hebræis per desertos Arabiæ campos momentibus annona fuit, inter precandum est operta. Tres aliquando gemmulas ei Dei para dono dederat, vaticinata, suo honori aliquot ab AGNETE templa constituenda. Jesulum aliàs in ejus sinum infuderat; cuius è collo crucem eam abstraxit, quæ in hæc usq; tempora ad facti memoriam, piorumq; venerationem conservatur. Sæpè ab Angelo divinam hostiam accepit. Balneum, quo valetudinis causâ utebatur, cœlesti Manna instratum, eoq; loco fons medicâ salubritate præditus erupit. Et quemadmodum sæpè divinos Genios vivens habebat hospites, ita moriens eosdem adepta comites in cœlum evolavit, anno salutis MCCC VII. Mortem multi infantes è suis cunis quâ sermone, quâ cantu celebrarunt. Corpus putredine laboq; intactum, virtutum ac præcipuè castimo-
niæ

nix luculentam præbuit testificationem.

Ex Bulla Canonizat.

MEDITATIO

*De causis teporis in studio
virtutis.*

1. **A**GNES quo fervore novennis Virguncula
divino obsequio se consecravit, ab eo nun-
quam remisit. Nos quantum remittimus? Deus, cui
obsequimur, constans est, non mutatur, nunquam
defervescit ejus in nos amor: hanc imitemur con-
stantiam; *Memor esto, unde excideris, & prima opera fac,
ne alius accipias coronam tuam.* Apoc.

2. Vulgò duplex est causa teporis ac remissionis
nostræ in usu virtutis. Prima est, nimia fiducia in
bonis operibus, quæ olim fecimus. Cùm semel ea
deposuimus peccata, quæ nobis injiciebant inferni
timorem: cùm aliquid, pœnitentiæ nomine, passi
sumus, existimamus jam tutò ac sine metu nos vivere
posse. At quàm vana est hæc fiducia! Cum timore
ac tremore operare tuam salutem: Nam *sæpe immit-
tit Diabolus securitatem, ut inferat perditionem.* Eucher.

3. Altera causa teporis ac remissionis in via virtutis
est ingenitum cuique laboris ac mortificationis o-
dium. Non placet corpori tam durum, ac tam diu-
turnum vivendi genus: horret planè animus, dum
adhuc numerat 40. aut 50. annos vitæ durioris; ve-
rùm quis diem alterum nobis præstiterit, ne simus
solliciti de crastino? *agamus, quod agimus, quàm
poteri.*

410] 285. [098
poterimus, perfectissimè: cautè ac prudenter utamur tempore vitæ nostræ, cum tam citò fluat. Citò transeunt dies nostri, utinam bene transeant. *Caesar.*

S. ANSELMVS EPISCOPVS.

21. Aprilis.

Qui facit peccatū, seruus est peccati.
Joannis 8.

FAcilè mundum despicit, quisquis æquis oculis aspicit. Testis luculentus ANSELMUS est. Vidit hic (nebulam ab oculis DEO removente) quem nos mundum dicimus, immundum, quâ patet, paludem esse, coeni omnis ac sordium colluviem: In hac volitari miseros homunculos; hinc delicias suas haurire delicatulos; hinc gemmas quarere avaros; hinc triumphare ambitiosos. Miratus ANSELMUS posse tam sordidâ lacunâ pisces gaudere tam nobiles, oculos ad religiosorum septa transtulit, & ædes sibi videre visus est regio opere structas & omnibus deliciis affluentes. Has itaque ingressus, ex Monachis Coenobiarcha, ex Coenobiarcha Pontifex Cantuariæ, mortuus memoratur
anno

anno MCIX. vir, qui è minimis quibusq; rebus maxima dare documenta scivit. Nam, ut alia silentio prætermittam, cùm lepusculum sub equum suum fugientem à canibus undiq; cingi conspexisset, eam morientis conditionem esse exclamavit ab atris geniis obsessi. Jam puerum conspicatus cum aviculâ lusitantem filo alligatâ, peccantis hominis typum esse dixit, qui libertate sua spoliatus ad arbitrium stygii aucupis viveret. Itaque, qui jam nos circumspicimus, si ANSELMO credimus, male dæmonis ludus, lepusculi, aviculæ captivi sumus. Nec tamen stulti lepores fugimus, nec aviculæ filum rumpimus: quin quod omnem stultitiam exsuperat, cantitate etiam in tantis miseriis juvat. *Ex Edinero.*

MEDITATIO

De peccato Mortali & per illud servitute Dæmonis.

1. *S.* Anselmus in lepusculo fugiente, ac canibus, & aviculâ haqueo retentâ à puero, peccatoris, Dæmonis mancipij, miseriam contemplatus est. Qui peccato servit, quot immoderatos affectus, tot Tyrannos habet: *Venit libido, & dicit, meus es tu; veniunt omnia vitia, & dicunt, meus es tu; quam tanti comperunt, quàm vile mancipium est!* Ambr. 2

2. Verè liber est, qui servit, & obedit Deo; etenim unum duntaxat habet æquissimum, & facilissimum Dominum, cujus mandata & rationi maxime consentanea sunt, & nobis utilissima. Voluntarium hoc, & rationabile obsequium, quod Deo præstamus, nos liberat à turpissimâ & sævissimâ Tyrannide Dæmonis, libidinis, peccati. Ah! si libertas maximum est honorum omnium; cui, Domine, potiori jure meam ego devoverem, quàm tibi, qui mihi eam dedisti? *Deo parere, libertas est.*

3. Ut perfectâ & integrâ libertate in hoc mundo gaudeas, num Deum & timere, & amare debes. Omnia supplicia, afflictiones omnes, omnes mundi deliciae, opes, vanitates non poterunt vel ad minimum peccatum te impellere, si unum timueris, & amaveris Deum. Quot anxietatibus liberareris? si animo tuo aliùs inhæreret. nihil amandum esse, præter Deum, nihil timendum, præter Deum.

S. THEODORVS CONFESS:

22. Aprilis.

Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum. Luc. 14.

THEODORUM sexennem mater ad omnem licentiam informabat, cum S. Georgius,

ne

ne filium cæli Imperatori auctoratum vitæ
 corruptelis examinaret, præsens admo-
 nuit, pueri deinceps in sanctitate magister,
 Eunti ad ædem sacram dux adfuit, viam
 præstigiis orci præseptam & impeditam
 aperiens: Matri quoque, si à pietate
 filium avocaret, stricto mucrone exitum
 minatus. Propè interitum THEODORUS erat,
 quando decantatus ille Proteus assumptâ
 contubernalis formâ, incautum in præcipi-
 tium impulit præultor ipsius factus, eumq;
 exemplo tracturus, nisi custodis cura præ-
 valuisset. In templo Christum cum Virgine
 matre præsentem aspexit, à quo ad sancti-
 orem militiam invitatus, illicò stipendia fa-
 cere cœpit. Gigantem credidisses vim cœlo
 illaturum, si labores spectasses. Miraculis
 morborumq; medelâ clarus, quos aliis ab-
 sterlit, sibi gratulus est dolores, eos divi-
 nâ in se voluntatis argumenta dictitans.
 Venenum impiorum invidiâ mistum, Re-
 ginæ cælorum benevolentiam superavit, quæ
 piorum mens securitatem affert, certio-
 rem utique, quàm ii, qui periculosas Princi-
 pum epulas gustu explorant. Hunc Reginæ
 Cœlitibusq; tam charum, quid mirum est,
 si Reges nostri orbis suspexerunt, neq; passi
 sunt

sunt THEODORUM voto suo potiri, qui cum probra sitiret, vel invitus honoribus mactatus est? *Ex Suvio.*

MEDITATIO

De correctione eorum, qui cura nostra subsunt.

i. **V**erius illa pellex fuit, quam Mater THEODORI, quæ ad omnem vitæ licentiam pellexit filium: Neq; illa Mater diligit, quæ filium peccantem negligit. S. August. 1 de civit. c. 9. *Si neglexeris corripere, pejor factus es eo, qui peccavit.* Si autem monueris, resipiscet Frater tuus, atq; ita animam lucificas ejus Christo. Quomodo tu fungeris hoc officio charitatis? & quomodo amas corrigi?

2. At, inquires, molestus ero amico meo, illum si toties monuero. Esto; An ideo debes officio tuo deesse? Iniquius forte est tuum de humilitate ejus judicium: Adde, quod æger est, cui vel invito adhiberi debet medicina. Quando valebit, gratias tibi referet. Officii tui, non personarum habe rationem. *Nulli parcas, ut soli animæ parcas.* Hieron.

2. Si tamen existimes correctionem non modò inutilem, sed gravioris peccati occasionem fore, cave, eam adhibeas; præpostera plerumq; monitio, aut correctio omnem spem aufert resipiscentiæ ac emendationis. Capta sedulò opportuniæ monitionis tempus. Sæpius scalpellum in gossipio, odore moschi perfuso occultandum; sæpius catapotium

potium inaufandum, ut æger ea non refugiat. *Vñ*
fratrem corrigere, illachrimare, ora Deum, apprehensum
admone, consule, exhortare, monstra charitatem erga
proximum. Chrylost.

S. GEORGIUS Martyr.

23. Aprilis.

Certa bonum certamen & appre-
hende vitam eternam. ad Timoth. c. 6.

ANno post natum Servatorem XC. supra
 ACC. GEORGIUS fortissimus CHRISTI
 miles ob virtutem inter Tribunos adlectus,
 tum Comitis etiam titulo à Diocletiano or-
 natus, cùm hujus nihilominus efferam in
 Christianos tyrannidem propalam damna-
 set; in vincula & ipse tractus, saxum primò
 ingens pectori injectum supinus fortiùs,
 quàm cœlum Hercules tulit; ad machinam
 deinde mucronibus omni ex parte arma-
 tam, ut antè ad gladios in acie, risit. Hinc
 calce tres dies sepultus, cùm illustrior sur-
 rexisset, ferreos & ab igne candentes cal-
 ceos indutus, nempè ad Olympiam coro-
 nam cucurrit. Cæsus iterum immaniter, ac
 alapis contusus, in ruborem languoremque
 ipsos

iplos carnifices dedit, & testem fidei suæ
mortuum è tumulo produxit. Tandem post
tot egregiè pugnatas pugnas, coronatum
pridie in carcere ab ipsomet Imperatore
Christo caput, iterum coronandum securi
subdidit; cum prius ad ejus impetium cor-
ruissent omnia Numinum simulacra, &
cacodæmones se esse, non Deos ultrò edi-
xissent, verissimo omnium, quod unquam
dederunt, oraculo. *Ex Metaphr.*

M E D I T A T I O

De perfecto Christi Milite.

1. **S** GEORGIUS, ut perfectus miles, Christo pri-
mum fidelis fuit, nec unquam defecit à Chri-
sto, tamen Imperator, ut ejus fidem labefactaret,
adhibuerit blanditias, minas, tormenta. Tu verò
quâ fide & quâ constantiâ blanditiis, minis, deli-
ciis, ac doloribus resistis? Heu! si tentaretur fides
tua divitiarum ac honorum jactura, num citius fi-
dem quam hæc terrena bona relinqueres? Prospe-
ritas unius diei efficit, ut Dei obliviscaris. Quomodo
ferres Tyrannorum tormenta tu, qui amicorum jo-
cos pati nequis? *Qui torvum vultum ferre non potes,
quomodo sustineres tribunalia persecutorum?* Hieron.
2. Ut fidelis, sic etiam fortis ac generosus fuit
S. GEORGIUS, nam ut tueretur partes Jesu Christi,
erecto & alacri animo atrocissima passus est supplicia.

Tua

Tua verò virtus levissimâ difficultatē frangitur ac debilitatur. Tam acri studio consilia ac negotia tua ad exitum perducis: An tibi majus esse debet aut consilium, aut negotium consilio & negotio salutis?

3. Ad ultimum S. GEORGII in fide ac constantia perseveravit. Perseverantia coronam capiti tuo impositura est: excidant ē memoriā tuā bona opera, quæ olim fecisti, respice faciendā, respice coronam, quæ tibi parata est, respice Deum certaminis tui spectatorem, Hæc si attenderis, facilius certē ad mortem usque aliquid patieris. *Quis sanctorum sine tribulatione coronatus est? Quare, & invenies singulos adversa perpeffos.* Hieron.

S. BONA Virgo.

24. Aprilis.

Bonus es tu; Et in bonitate tua doces me justitiam tuam.

118. Psal. 68. v.

AGē Virgo animo. Hæ tibi leges feruntur: Lecto pudico cubato, Vestis cilicium esto, Ut latrones domesticos effugias, pudorem peregrè ad Divūm templa circumfero. Nempè, duras, ais, & verè arceas leges fixisti. Quid vis dicam? Tu non potes quod isti & istæ? addo quod Virguncula BONA potuit, cui vix septe ni has leges ipse sum-

mus

mus Legislator Christus tulit, annuente & probante Virgine animo, quid? quòd ultro non lecto, sed stramine involvit pudorem, si non tam molliter, certè securius dormiturū? quòd non semel sed decies ex Italia ad S. Jacobi sepulchrū in Galæciam abiit; quòd tres omnibus septimanis dies non nisi pane & aquā traduxit, & reliquis, quibus opi- parè vixit, leguminibus vixit, etiā tunc, cū ab Hierosolymitano itinere & longā Saracenorum captivitate redux, continuā fe- bri laboravit? Superi! quis nostrūm ægro corpusculo facit tam ægrè? Nimirū Virgò facit, ut periclitanti pudicitiae medicinam faciat. Et arrisit his studiis Christus ipse, qui Ierosolymæ ad sepulchrū suū orantis BONÆ capiti ter manū suā imposuit, & post quadragintadiāle jejuniū traductū in eadē cremo à Virgine, in qua ipse tra- duxerat olim, annulo sibi visendus despon- savit, multisque aliis miraculis ornavit. Ultimò è vitā BONÆ inter risum cantulque abiit. Quid miraris Lector? dum vixit, flevit.

Ex Exoio 13. tom. ann. Eccl.

MEDIT

MEDITATIO

*Solus Deus summum & Verum
bonum.*

1. **T**otus mundus in maligno positus est, & boni quid extra Deum quaeres in mundo? O bona anima! finge in mundo omne delectabile bonum, & amisso Deo per peccatum, quid erit & unde erit vera delectatio? pudeat igitur, cum alia non amentur, nisi quia bona sunt, eis inhaerendo, non amare bonum ipsum, unde bona sunt. S. Aug. lib. 8. de Trinit. cap. 3.

2. O bona anima finge totum mundi laboriosum interesse; quid autem proderit homini si unversum mundum lucratur, anima vero sua detrimentum patiatur? Et quale est animae detrimentum? nempe primum est Aeterna Dei summi boni, ob malam summum admissum, quale peccatum est, inestimabilis carentia? secundarium est aeternum supplicium, & quae infania hominis Cosmophili ob interesse momentaneum aeternum privari Deo? Quo nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius bonum invenitur. S. Aug. Serm. 1. de Trinit. c. 3. Atque bonum aeternaliter utile.

3. Finge o bona anima, quidquid boni est in vanâ gloria & erit tantum punctum honoris; & minus quid est puncto? quid vero non pro puncto gloriae arduum amularis? & quid pro immensitate aeternae gloriae, quae est infiniti boni summa parti-

T

cipatione

20] 295. [1032
cipatio, quid audes subire difficultatis? concludere de
triplici bono mundi maligni cum Aug. in psal. 26.
*Quidquid mihi vult dare Deus, auferas totum, & se mihi
det bonum super omne bonum.*

S. MARCUS Evang.

25. Aprilis

*Tu verò vigila & in omnibus la-
bora, opus fac Evangelista, mini-
sterium tuum imple. ad Tim. cap. 4.*

MARCUS ut primùm res Christi lite-
ris gestas consignavit, à Petro Alexan-
driam legatus est: cum ipso, etiam Evange-
lium in urbem penetravit. Cùm enim sub
porta Anianus cerdo detritas Apostoli so-
leas reficeret, subulaque in levam exerrante,
Deum, ut sit in adversis, inclamaret, Mar-
cus, vulneri remedium fecit, & Anianũ mag-
no operæ pretio ad Christi religionem tra-
duxit; Sed cùm ob quotidiana Fidei iucra-
menta Marcus insidijs appetere-
tur Anianũ pro se urbi Episcopum dedit, ipse Pentapo-
lim abiit. Indidem biennio post Alexandriam
rediit; ubi ad aram ipso Dominicæ Resurre-
ctionis

tionis festo die captus raptatusq; per urbem,
 Paschalis pro Christo factus est victima: Ea
 nocte Angelus nomen suum Marco, Albo
 Cœli inscriptum monstravit, & Christus ip-
 se magno præfens fuit solatio: postera luce
 cum laqueo gula implicaretur, tam citò con-
 stringi non potuit, quin celerior anima ad
 superos evolare: cadaver ne tortores exure-
 rent, coërta repente tempestas rogam om-
 nem cum bustuarijs disjecit. Nunc de illius
 tumulo Italia Germaniæq; certant, ut de cu-
 nis Homeri Græciæ urbes, lite tanto sanctio-
 re, quantò dignior est, qui Christi, quam
 qui Achillis prælia scripsit. *Ex Brev. Rom. et S. Hier.*

MEDITATIO

*De Evangelii & mundi
 placitis.*

1. Evangelium est Jesu Christi testamentum, quo
 nobis suam aperuit voluntatem, nosq; suos hæ-
 redes nuncupavit, eâ tamen conditione, ut, quæ
 mandavit, diligenter adimpleremus; quare sæpè me-
 ditare æternas veritates, quæ in eo continentur;
 unica quippe, si rectè intelligeretur, sufficeret ad
 sanctificationem nostram.

2. Suum mundus habet etiam Evangelium, E-
 vangelio Christi omnino contrarium. Etenim præ-
 cipit

40) 197. [0*]
cipit Christus, ut crucem tollas, & parcas inimicis;
mundus autem, ut fugias crucem, & inimicos ulciscaris. Christus commendat humilitatem, abnegationem &c. mundus verò honores; voluptates &c. Jam videre potes, cujus spiritum habeas, an Christi, an mundi?

3. Ne credas, Religiosorum esse, non mundanorum, Evangelij præceptis obtemperare. Non est duplex Evangelium, nec Paradisus duplex; alter videlicet, quod à Religiosis ematur multo labore; alter verò, quod mundanis gratis concedatur. In Evangelio Christus omnibus præcipit, omnes debent ejus præceptis obedire; imò expediret, ut, quoad ejus fieri posset, ejus consilia sequereris. Parum amat Dominum, qui Domini consilia contemnit. Nunc Christiani semper in ore habent Evangelium, cuncta eorum visa discrepet ab Evangelij præceptis. Cyprianus:

S. MARCELLINUS PONTIFEX

26. Aprilis.

*Pœnitimini igitur & convertimini
ut deleantur peccata vestra.*

Apoc. c. 3.

CECIDIT SEMEL MARCELLINUS summus Pontifex, sed resurgendo casum gloriosum

sum fecit, quem panico mortis metu stravit humi fulminans Tyrannus, sensit ex lapsu fortiozem Anthem & triumphatorem. Thus quidem adolevit Idolis, & fumo sacrilego foedavit animam, sed mox in Christiana poenitentiae balneo lacrymis suis candidiorem reparavit, qui cum Petro peccavit negando Christum, eidem Petro, cui successit in cathedra, Successor in poenitentia fuit. Convocavit 300. Episcoporum concilium, in quo adfuit non ut supremum caput Ecclesiae, sed ut membrum abscindendum, eò quòd scandalizaverit fratres, foeditatem criminis non aliter obtexit, quàm cilicio & cinere asperso, ceterùm confessione prorsus nudâ & simplici criminis veniam flagitans iustissimus sui accusator. Respondente concilio *tu ipse iudex es.* redijt ad Tyrannum, Immanitatem increpat, revocat ac damnat, quæ temerè dixerat ac fecerat, atq; ideo capitis amputatione Martyrij palmam recuperavit Anno 304.

M E D I T A T I O

De diffidentia sui.

1. **H**omine nihil fragilius; graviora quæq; vitia patrare potest, si sibi ipse permittatur. S. Petrus

299. (oda
erus qui ad vocem unius ancillæ ter Dominum ne-
gat, S. Marcellinus Successor ejus, qui Thuris suf-
fitu Idola veneratur, humanam liquidò fragilitatem
demonstrant. Abjiciamus superbiam, & timeamus,
si enim columnæ Ecclesiæ ceciderint, quid nobis
quassatis arundinibus fiet? Domine, *Quod cecidisti
ex me, quod surrexi, ex te.* Augustinus.

2. Ne desperes, si in aliquod scelus cecideris,
quamvis scelus tuum omnium planè scelerum ef-
fer gravissimum, nunquam ejus malitia divinam vin-
cet Bonitatem. Revertere ad patrem tuum; te vo-
cat, te expectat, paratus est ad te recipiendum. Te-
cuius pigebit peccare, quàm eum parcere.

3. Sivere, ac omninò velis ex peccatis tuis emerge-
re, provide, fuge occasiones, in quibus peccasti; alio-
quin in eadem semper peccata prolaberis. Indaga
causas peccatorum tuorum, & cognosces, ideo te
peccasse, quòd non vitaveris hos malos socios,
quòd cupiditatibus, quòd sensibus tuis nimium in-
dulseris. Tremens navarchus accedit ad scopulum,
ad quem olim altisa est ejus navis: à morbo
recens diligenter abstinet à cibo, qui morbum
induxit. *Quid tibi necesse est, in ea domo versari, in
qua necesse habes, quotidie aut perire, aut vincere?* Hier.

S. ANTHIMUS EPISCOPVS.

27. Aprilis.

Diabolus

Diabolus cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est. Joan. c. 8.

UT virtutis comes invidia plerumq; velut umbra adhæret bonis, sic virtutis fructus gloria, etiam fugientibus instans, ut sol à tergo illustrat. Ita ANTHIMVM, NICOMEDIENSEM nobilissimam, præclaram à iuventute virtus dignum ostendit, cui NICOMEDIAE vacante cathedrâ, quantumvis invito insula imponeretur. Bene factum, honorata virtus fortior, idolis adversari, & ad Christi cultum ex Imperatoris etiam aula ad verum DEVM abstrahere ausa est, imò ANTHIMI doctrinâ viginti duo millia civium NICOMEDIAE ab idolis averfa, igne holocaustum DEO consecrata, in cineres abiêre. Hinc Maximinus Idolorum desolatione tristis auctorem ANTHIMVM inquiri per octoginta equites iussit. Et facile se obtulit, qui latere noluit. Excepti ab eo ut hospites, inter liberalè conam intelligunt, ipsissimum esse ANTHIMVM, qui tam dapsiliter eos habuisset. Mori ergo viri benevolentia, ut illæsus esset, spondent se Maximiano fucum facturos: ac noluit sce-

lere vindicari Sanctus, quin omnes hosce satellites, Christo ut crederent & sacro latice tingerentur, effecit. Subinde Tyrannum ultrò adit, objurgat savientem, ridet tormentorum machinas, idola despuit, cruciatus ingentes è cœlo animatus generosè vincit, prostratis divina virtute tortoribus, confractisq; occultâ vi catenis, in ipso carcere maleficis fidem persuadet. At Maximianus, ne vitus videretur, demum præmia, & summi Decorum Sacerdotij honorem ANTHIMO offert, si thura daret; at, ridens insana oblata Sanctus, sacrificiū veri Dei esse maluit: & factus est, capite abscisso, truncatus. *Ex Methaph.*

MEDITATIO

De veritate & mendacis.

1. **N**Unquam mentiri debemus, quocumq; velo mendacium nostrum possimus tegere: quoniam mendacium semper est peccatum, quod diabolo, mendacii parenti, similes nos efficit, deletq; in animâ nostrâ formam filii Dei, ac fratris Iesu Christi, qui est ipsa veritas. Exemplo S. Anthimi debemus citius mori, quàm mentiri, aut pati, ut alii nostrâ causâ mentiantur. Mendacium non leve quidpiam est, cum offendat infinitum ac omnipotentem Deum. *Nihil leve existimetur, quo Deus offenditur.* Salvian:

2. Qui mentitur, injuriam facit proximo, eum fallit, imò quantum in se est, humanam dissolvit societatem, Si omnes homines mentirentur, quanta perturbatio? Injuriam etiam facit Christo: Nam Christiani non modò sunt membra Christi, sed organa vocis ejus. Quoties mentiris? in memoriam revoca mendacia tua.

3. Sunt quidam homines, quorum vita perpetuum est mendacium; simulatâ probitate omnibus imponunt. Quàm pauci volunt videri, quod revera sunt? Novit te Deus: frustra celas homines peccata tua; Deus tuus erit iudex; aliquando omnia patebunt; larva detrahetur. *Occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest; florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest.* Aug.

SS. THEODORA & DYDIMVS Martyres.

28. Aprilis.

Diligatis vos invicem sicut & ego dilexi vos. Joannis cap. 13.

FAbulam damus, dum vivimus, alius alio pulchriorem: pulcherrimam DYDIMVS & THEODORA dederunt, Hæc dum parvulum Tyrannum amorem fugit, in maiorem alterum Maximianum Imp. incidit.

T 5

judetur

iubetur aut fidem, aut Virginem ponere.
 Quid ageret? Martyr moreretur, non Vir-
 go? Virgo viveret, non Martyr? Placuit
 Virgini martyrem sociare. Abripitur in
 cellam infamem: sed primus DYDIMUS ir-
 ruit in militis persona vultum amantis pra-
 ferens: instruitur elegantissima scena: mu-
 tantur vestes; sub milite evadit Virgo: sub
 Virgine miles apprehenditur. Sed nunquam
 magis illa Virgo, quam cum sic foemina
 fuit. Dum enim hic ad supplicium ducitur,
 adest illa, & licet ecce de morte mover.
 Vadem ait se pudoris, non mortis legisset:
 hanc vel fugam meruisse; esse certè in Vir-
 gine ferro locum, si injuria non fuerit: sed
 nec animos deesse, quos cum armis sump-
 sisset; demùm si THEODORA addicta sit
 morti, THEODORAM se esse; si DYDIMUS,
 etiam hunc induisse. Contra querebatur
 ille, ingratoram benefactori præmium invi-
 dere; arma se exuisse, non militem, stolam,
 induisse, non foeminam: turpe fore viro-
 regum vertere, si sic mulier pugnaret; illi
 plus lactis, sibi plus sanguinis naturam de-
 disse, se denique (sive DYDIMUS jam offer,
 sive THEODORA) se ad mortem damnatum
 clamabat. Quid multis? duo pugnarunt, &

ecce

cernentibus causam licitorib⁹, ambo vicerunt.

ES D. Ambr. l. 2. de Virg.

M E D I T A T I O

De Sanctis amicitiiis.

1. **O**Mnes verâ charitate, paucos arctâ familiaritate complectere: Amici tui sint Dei amici, si enim tales habeas, eorum colloquiis virtutē docebere: fideles sunt amici, qui Deum timent; qui verò non timent, infideles, Enimverò qui praestarent tibi fidem, quàm Deo negant? An plura tibi debent, quàm Deo? An à te majora praemia sperant? An atrociora timent supplicia?

2. Finis amicitiae tuae esse debet suavis ac sancta vita, ideo debes cum alio jungere amicitiam, ut alter alterius consilijs, ac exemplis magis, magisque in virtute proficiat. Amicitiae, quarum finis est lucretū, compositio, libido, brevi dissolvantur. Quātum laboras, ut amici tui sancti fiant? An tu ipse sis sanctior consuetudine amicorum tuorum? An contra eorum vitia, quàm virtutes magis imitaris?

3. Effectus amicitiae tuae sunt, adesse amico sive corporis, sive animi miseris prematur; abstinere oblectamentis, bonaque, & vitam ipsam profundere, tum, ut amicum è miseris eripias, tum maximè ut ex peccatis, ac peccandi occasionibus. In omnibus amicitijs tuis Jesus locum habeat, earumq; sit & nodus & vinculum. *Elige illum amicum pro omnibus amicis tuis, qui, cum omnia subtrahenda fuerint, salu servabit in die sepulturae tuae, Bern.*

S. CATHA

0] 309. [0

S. CATHARINA SENENSIS Virgo.

29. Aprilis.

*Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor
tuum erit. Luc. 12.*

CATHARINA ut primùm fari potuit, Escalas perreptans ad singulos gradus Angeli verbis Mariam salutavit, Quid jam mirum, si his gradibus ipsum culmen sanctitatis conscendit? Anno ætatis septimo, Christo, quem supra D. Dominici conspiciam ædem habuit, se sponsam; ille, conciliante Matre aliisque Cognitibus, sponsam se obtulit Catharinæ. Itaque sæpiusculè jam ad eam invisere, non rarè personatus mendicæ amorem probare, & stipem deinde datam è cœlo multis laudare. Addixerat se fæminæ fædo carcinomate laboranti, nec jam stipendium aliud præter calumnias ferebat. Subtristi eam ob causam nonnihil, ecce Christus adest geminam manu coronam prætendens, hanc auro, illam spinis rigentem, jubet optionem facere. Illa non nescia quæ corollâ sponsus ornatus esset, spinas invadit jamque

A jamq; melius animata impensius pergit ser-
 vitutem ingratae servire; quin, ut sponsam
 se probaret, ex ipso foedo ulcere pus exu-
 git. Meruit haec siccis alterum haustum, quem
 ex latere suo Dilectae Christus propinavit.
 Illa ab hac ambrosia jam ebria; porro ausa
 est petere, cor amans sibi haberet. Superi,
 quis fidem daret! nisi amor hominum tam
 obnoxios vos scilicet? Aufert Catharinae
 cor Christus & suum reponit. Tunc pro-
 fecto expleto amantium voto. Christum
 Catharina cor suum: suum Christus Catha-
 rinam vocare potuit, & suum.

MEDITATIO

In vitam S. Catharinae.

SCATHARINA cor suum cum corde Jesu mutas-
 verat. Et verò palam ostendit, habere se cor
 amantissimi Jesu, suo animarum studio, suaque
 misericordia in peccatores, pauperes, & aegros.
 Ubinam est cor tuum? An in divitiis? An in vo-
 luptatibus? Ut quid tam durum, ac tam frigidum
 est cor tuum? ut nequeat pauperum miseriis emol-
 liri, nec divino amore accendi. Domine, amem
 te solum, aut si quid aliud, tui causa. *Da cor,
 quod te diligat.* Aug.

2. Spineam coronam auream longè anteposuit; hoc
 est, mundi delicias valere jussit, ut amplecteretur

crucem

crucem Christi. Si in hac vita Rotas velis, cave, nam brevi marcescit earum decor, earum vero spina eternum pungent. *Difficile, imò impossibile est, ut quis presentibus & futuris fruatur bonis.* Hieron.

3. Assiduâ Dei presentis cogitatione tentationes omnes vicit. Diligenter meditabatur passionem Christi, damnatorum cruciatus, & humane conditionis vililitatem, quibus munita cogitationibus, nec hominum persecutionibus, nec tentationibus Dæmonum movebatur. Cogita Deum presentem, meditare eternas veritates, & nihil hoc in mundo aut timebis, aut desiderabis. Solùm de terrenis cogitas, quia ponis spem tuam in solis terrenis. *Esset in celo cor & animus, si in celo esset thesaurus.* Euch.

S. MAXIMUS Martyr.

30. Aprilis.

Quod in presenti est momentaneum & leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate æternam gloria pondus operatur in nobis

Corinth. c. 4.

Optimus, falsissimâ nomenclaturâ, cum pessimum mores demonstrarent, Asiae Proconsul fuit, qui Ephesi sub Decio imperatore Christicolâs vexare primò aggressus, ante

ante omnes manus in civem quendam de plebe iniecit, irritatus, quod palam ille se Christianum jactaret. A capto quaesitum cum esset, cuius nominis conditionisque esset? MAXIMUS respondit, vocor quidem, sed conditione, quamvis ingenuus sim, minimum me Christi servum profiteor. Et Decii nostri decretum instat iudex. Novi, inquit, sacrifico tamen nisi Vni Deo; quod si piaculum, reum in potestate me habes. Aut sacrificas, ait iudex, aut morieris. Ego vero id opto, infert MAXIMUS; mortem non timeo, nec tormenta me terrent, idololatrias autem aeterni manent cruciatus. Haec verborum libertas ita bilem Praesidi movit, ut fustibus primo, deinde equuleo in Martyrem saxiri iusserit; demumque urbe eiectum, cum constanti praeconio Deum laudaret, lapidum procellam obrui ac sepeliri mandavit, anno post Christum CCLIV. Tu, si placet, heteroclyto huic actui Epigramma adscribe:

Hic occidit MAXIMUS Martyr,
Quem occidit Optimus Tyrannus.

Ex Baronio.

MEDIT

MEDITATIO

De mercede laborum nostrorum.

1. **L**ive est, quod in praesentia patimur ad paratam nobis mercedem: aut faciles sunt, aut breves labores hujusmodi; si enim acres sunt, non sunt diuturni; si diuturni, non acres: interdum remittit quilibet dolor, & mitigatur. Ad summum labores, & dolores nostri, brevissimam vitam nostram aequare possunt. *Quidquid finem habet, breve est.* Aug.

2. **Q**uae nos manet in caelo merces, aeterna est duratione, infinita magnitudine, universalis amplitudine. Nullus dolor, fastidium nullum, nullus timor laetitiam, & gaudium nostrum temperabunt. Quid amamus terrenas delicias? Cum is amor impedit, quod minus caelestibus fruamur. Quid timeamus tolerantiam ac labores, cum his aeternam nobis comparemus felicitatem? Unum Deum desideremus, nam ipse est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Aug.

3. **S**ola cogitatione aeternitatis, sola spe divinae fruitionis, vel in hoc mundo laeti vivere debemus. Haec cogitatio gloriosam Martyribus victoriam, hilarem vero patientiam, ac perseverantiam poenitentibus dedit. Non semper flebimus, non semper patiemur. *Parentes nostri (ait Euch.) transierunt, nos abimus, posteri sequentur: Sed aeternitas semper manet.*

ad IVS.